



**CENSURA  
SACRÆ FACULTATIS  
PARISIENSIS,  
Lata in Thesim Majorem Ordinariam  
nuncupatam ,**

*In Sorbona propugnatam die 18. Novembris 1751. à Magistro  
Joanne - Martino de Prades, Presbytero Montalbanensi,  
ejusdem Facultatis Baccalaureo.*

**C**UM omnium ætatum , vel ab ipso Christianæ Religionis exordio , experientiâ comprobatum sit illud Jesu-Christi Domini nostri oraculum : *Necesse est ut veniant scandala :* tum maximè novissimis hisce temporibus quasi manibus contrectandum se præbet. Diceres apertum putei infernalis abyssum , unde turbo procellarum erumpit , & horrenda putridaque nigredine Ecclesiæ Christi longè lateque inficit.

Retro actis hic usque sæculis ex intervallo exhortæ hæreses , unum aut alterum Religionis Catholicæ caput evertere tentarunt. Nostro sæculo in ipsam Religionem totam , quanta est , debaccatur ac furit impietas , fræni pudorisque jam nescia : Fidem , cuius est captivare omnem intellectum in obsequium Christi , superbi cæcutientisque in pluribus intellectus humani im-

perio submittit, nihilque credendum hominibus proponit, nisi quod ipsis sensus & ratio sibi relictæ referant.

Horrenda hæc dogmata, quæ antea in cunabulis velut adhuc posita, impietas vix missitando audebat proferre, facta de die in diem audacior, super tecta prædicat; suis superbienti gressibus satis non esse visum est in domos privatas penetrare, in ipsum Religionis Sanctuarium irrepere tentavit; arbitrata se injurias suas vindicaturam in Sacram Facultatem, quæ ab anno & amplius examini & condemnationi perversorum Librorum, qui aut mores bonos, aut sanam doctrinam impetunt, studio indefessè incumbit, si in eam aliquid sui veneni aspergeret.

Conscivit hoc grande nefas per Thesim die 18. Novembris anni proximè elapsi in Sorbona propugnatam: Thesim artificiosâ prolixitate, litterarum fusilium tenuitate digestam, quæ legendum attentionem fatigando distraheret: locutionibus ambiguis, poëticis, metaphoricis compositam, quibus error sub quadam larvâ veritatis insinuaretur; ipsa verò veritas pessum daretur: in quibus tacitis, qui ad exprimendam animæ rationalis naturam ex usu sacri sunt, terminis, innui videtur eam esse merè materialē, utpote substantiam igneā, quæ terrenæ fœcis sit expers. Notiones boni malique moralis prorsùs extraneas & peregrinas ingerit. Jus inæqualitatis, quod in ipsa natura fundatum habet, & ab ipso Autore naturæ ordinatum est, ut jus rationi minus consonum traducit: veram Religionem revealatam nec esse, nec esse posse aliam à lege naturali magis evolutionā, afferit; quasi Religionis Christianæ Mysteria, quæ certè ex Lege naturali minimè oriuntur, forent verae Religiōne extra-nea. Religionibus Judaicâ & Christianâ cum Politheismo & Mahometismo cum sumimâ irreverentiâ indiscriminatim annumeratis, Theismum affectatis laudibus extollit. Mosaïcam Legem in poenis tantum & præmiis temporalibus sitam exhibit: Pentateuchi veritatem & autoritatem elevat, dum chronologiam, quæ in ipso legitur, & semper & ab omnibus lecta est, à Mose non proficiisci, sed in ejus Historiam alienis manibus insertam comminiscitur: unum è præcipuis Religionis argumentis, miracula nempe, sic ab Autoribus, qui de iis scripserunt, tricis & ambagibus implicitum, ut nullam vim amplius habeant ad

3

attestandam Dei voluntatem ; & quod aures Christianæ refugiunt, eò impietatis & blasphemiae devenitur , ut morborum curationes , quæ ab Æsculapio factæ referuntur , non dubitet conferre cum curationibus ab ipso Christo peractis.

Horruit Sacra Facultas ad opus tenebrarum ab uno è suis Baccalaureis confectum , & munitum chyrographo trium è suis Magistris , qui partim fraude decepti , partim ex incuria , pessimæ Thesi subscripsérunt. Horruere & ipsi , miratique sunt se fautores esse errorum , à quibus se maximè alienos & esse , & semper fuisse , non sine summo doloris sensu , statim testati sunt ; Religionis Christianæ adversarios , cuius , quācumque datâ occasione , defensores strenuos se præstiterunt.

Zelo zelatus Sacer Ordo pro Sanctissimâ Religione , pro suo honore , ad primam expositionem plurium propositionum è Thesi extractarum , & sibi per suos Deputatos ad examen Theseos speciatim nominatos , die primâ mensis Decembris anni proximè elapsi , perfidam Thesim proscriptis die decimâ-quintâ ejusdem mensis , in Comitiis generalibus extra ordinem convocatis , quo citius scandalo occurreret , promulgationemque erroris , erroris condemnatio anteverteret , aut saltem simul utraque innotesceret : ac demum post multa Comitia tum privata , tum publica , propositiones , quæ infra describentur , semel atque iterum cum summâ diligentia expensas , inter se invicem & cum totâ Thesi collatas , notis censoriis configere & damnare statuit , auditis centum quadraginta sex Magistris , qui Christianæ Religionis & Sacri Ordinis amore ducti tam frequenti interfuerunt numero , confixit , damnavitque modo qui sequitur , in undecim Comitiis generalibus extra ordinem habitis , & absolutis die vigesimâ-sextâ Januarii præsentis anni , & in iisdem Theseos Autorem Joannem-Martinum de Prades , Baccalaureum suum , quem priùs ab omni Licentiæ officio suspensum voluerat die decimâ - quintâ Decembris præcedentis anni , re totâ jam penitus eliquatâ , propter culpæ gravitatem , & Baccalaureorum albo juxta leges suas expunxit. (Vide d'Argentre , Tom. 2. Col. jud. pag. 475. )

Cum verò tres Magistri , Studiorum scilicet Moderator , Præses , & Syndicus , ejuratis erroribus in eâ Thesi contentis ,

4

suæ circa illam Fidei declarationes obtulerint Sacrae Facultati ,  
harum examen ad Deputatos remissum est , ut de iis postmodùm  
relatio fieret ad Sacrum Ordinem , à quo , relatione factâ , judi-  
cium feretur de illarum sufficientiâ vel insufficientiâ , & de Ma-  
gistris à quibus oblatæ sunt .

Hæc autem acta sunt à Sacra Facultate , auditò & promo-  
vente S. M. N. Stephano - Ludovico Millet , Sacrae Facultatis ,  
Ex-Sindico .



# PROPOSITIONES EXTRACTÆ

*Ex Majore Ordinaria 18. Novembris 1751,  
& Censurâ confixæ.*

## PRIMA PROPOSITIO.

**E**X sensationibus, ceu rami ex trunko, omnes ejus ( hominis ) cognitiones pullulant. ....

Pronum est inquirere sedulò quæ natura sit principii in nobis cogitantis. .... Mens ignea terrenæ fæcis nihil habet.

## SECUNDA.

Nobis incumbit necessitas ea feligendi potissimum objecta quæ in nostram vergant utilitatem. .... Hinc origo societatis ; cuius vincula magis ac magis stringere debemus , ut ex eâ quam plurimam in nos derivemus utilitatem.

Cùm quodlibet societatis membrum omnem ac totam utilitatem publicam in se velit convertere. .... omnes ac singuli nati cum codem jure , non idem sortientur commodum. Jus ergo tam rationi consonum obmutescet ante jus illud *inequalitatis barbarum* , quod vocant *aequius* , quia *validius*.

Hinc origo Legum civilium. .... hinc origo Legum Politicarum. .... quò sàvior est Tyrannis , cui vis imbecillitatem submittit , eò magis indocilis est jugum pati , haud ignara sibi rationem contra vim ipsam militare : Hinc injusti notiones , proindeque boni & mali moralis. Hinc etiam Lex naturalis. ....

Malum quod in nobis humana procreant vitia , nobis ingenerat ideam virtutum illis oppositarum. .... hinc vis licita tantum ubi nullus judex legesque proculcantur.

## TERTIA.

Maximè distinguendum inter Religionem supernaturalem

67

& Religionem revelatam. .... omnes Religiones ( si unam excipias veram ) praestat sanè Theismus , illæ siquidem à veritate degeneres , lexque naturalis in Theismo non est decolor , vel ipsa vera Religio revelata , nec est nec esse potest alia à lege naturali magis evoluta.

### Q U A R T A

Quænam porrò sit illa Religio quam fidam suæ revelationis custodem Deus instituit ? Scaturiunt hinc inde Religiones , Polytheismus , Mahometismus , Judaïsmus , uno verbo Christianismus. .... sua quæque Religio nimis ambitiose miracula ostentat , sua Oracula , suos Martyres.

### Q U I N T A

Non in uno quidem duobusve ac tribus testibus veritatem comperiemus , nec in concursu plurium testium seorsim interrogatorum. Hacce methodo plurium testium exploras probitatem , quæ tibi probabiliter tantum cognita nusquam dabit nisi probabilem facti cognitionem. Ut ergo summam attingas certitudinem in se indivisam , nec ex distractis hinc & inde probabilitatibus ortam , illam metiare diversa studiorum combinacione , tunc enim manus tuæ veritatem contrectabunt , ubi numerus testium tibi aperiet campum satis amplum in quo sibi invicem occurrant varia hominum studia variæque propensiones inter se prælientur. .... facta sint effectus naturales an supernaturales , nihil interest , utrique iisdem circumscribuntur cancellis.

### S E X T A

Moses cæteris historicis audentior hauc epocham ( creationis ) determinare non dubitavit. .... in Fastis Hebræorum se nobis offerunt tres Chronologizæ pro vario Scripturarum textu : Libenter ego crediderim nullam ex his tribus à Mose Chronologiam proficiere , sed tria tantum esse sistemata præpostere adornata , & in ipsam Mosis Historiam alienis manibus inserta.

## S E P T I M A.

Æconomia Mosaïca in pœnis tantum ac præmis tempora-  
libus sancita. . . . . cùm nativus sensus indicet bona tantum  
temporalia consequens est ad ea Mosem unice respexit. . . .  
legem itaque Mosaicam habemus divinitus sancitam, sed quia  
positam in pœnis tantum ac præmis temporalibus, ideo non  
æternum duraturam.

## O C T A V A.

Naturam eorum ( Miraculorum ) ex se claram ac lucidam  
mille tricis & ambagibus plures implicuerunt, suisque argumen-  
tis id effecerunt, ut nullam amplius vim habeat vox Dei per  
miracula suam hominibus voluntatem attestantis.

## N O N A.

Lædunt dæmones, inquit Tertull. *de hinc remedia præcipiunt*, &  
postquam desinunt lædere, curasse creduntur. Ergo omnes morborum  
curationes à Christo peractæ, si seorsim sumantur à Prophetiis  
quæ in eas aliquid divini refundunt, æquivoca sunt miracula,  
utpotè illarum haberent vultum & habitum in aliquibus cura-  
tiones ab Æsculapio factæ.

## D E C I M A.

Fidem omnimodam merentur ( Patres ) ubi traditionem suo  
ævo vigentem commemorant; ast ubi in subsidium traditionis  
veniunt eorum ratiocinia, jam tunc ratione eorum momenta  
ponderentur. Non numerum Scholasticorum sed rationes per-  
pendo.

## C E N S U R A.

Damnat S. Facultas supradictas Propositiones tamquam re-  
spectivè falsas, temerarias, in Theologos Catholicos injuri-  
osas, scandalosas, malè sonantes, piarum aurum offensivas, er-  
roneas, blasphemias, hereticas, Materialismo faventes, Socie-

tati & publicæ tranquillitati perniciosas , boni malique morales notiones , & legis naturalis originem perperam & falsò assignantes , in ruinam Religionis supernaturalis assertas , dignitati Legis antiquæ , & Dei cum populo Judaico foedus ineuntis . bonitati detraheentes , integratæ & autoritatibz Librorum Moysis aduersas , fundamenta Religionis Christianæ subvertentes , & quatenus omnes à Christo peractas curationes seorsim à Prophetiis , miracula esse æquivoca & nihil habere divini afferunt , eò quod illarum referrent in aliquibus vultum & habitum prætensæ curationes ab Esculapio factæ , veritati & divinitati miraculorum Christi non sine impietate derogantes.

Cærerū declarat eadem S. Facultas , alias Propositiones in dictâ Thesi contentas quæ à sanâ fide sunt deviæ , ex pestiferis fontibus ut plurimum haustas , vel etiam ipsas voces asperum quid Christianis attributis infonantes , ex inanibus Poëtarum figmentis depromptas , exprimendis quæ sacra sunt & divina minus idoneas , & virum Theologum minimè decentes , damnare se & pro damnatis haberi velle.

Lectum & confirmatum in Congregatione generali S. Facultatis , die decima-septimâ Januarii 1752.

De Mandato D. DECANI & DD. Magistrorum Sacræ Facultatis Parisiensis , AMIOT HERISSANT , Scriba.

Sur la Copie imprimée à Paris.


A TOULOUSE ,  
De l'Imprimerie de PIERRE ROBERT , près les Jesuites ,  
au Saint Nom de JESUS.  
AVEC PERMISSION

à Voir.

de Bruges

in - h :

Recueil complet  
à toutes les pièces  
de son Precio -



— Toulouse —

Déclaration du Roi - Capitalisation  
Barif.

arrêt. (Régis de Mably)

Censure de Frades (Montauban)

Censure. Lettre de l'Évêque de Rodez.

Déclaration du Roi - Refus des Parlementaires  
de renoncer à leurs fonctions.

Condamnation de l'École du Séminaire de Langres

Arrêt. Bulle migrantes [Paris]. —

Arrêt Parlement suspendu.


Mandement de l'Évêque de Montauban.

Arrêt condamne un écrit "Réponse à Bulle migrantes"

Arrêt condamne au feu les Ecclés.

Affiches

- 1 Arrêt déprimant les journées de Matrice.
- 2 Arrêt supprimant une thèse de théologie.
- 3 Arrêt condamnant plusieurs bûcherons.



ÉDITS  
&  
ARRÊTS

6

